



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Pes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

usurpaturque plurimum ad uniuscujusque rei brevitatem indicandam, præsertim ubi in pu-  
miliones cavillum vertitur, uti de Pygmæis dictum, quos in derisum Trispithamos scurræ vo-  
cant.

## PES. CAP. XL.

Pes nemine discrepante digitis constat sexdecim, quare qui scribunt eum palmis quatuor confici,  
palmam accipiunt, ut Vitruvius τὸ δάκτυ. Dividitur vero hujusmodi dimensio in uncias duo-  
decim: & est sexta pars altitudinis in humano corpore. Frontinus pedem ita describit ut cum di-  
cat habere palmos quatuor, uncias duodecim, digitos sedecim.

## CUBITUS. CAP. XLI.

Quibus con-  
fitei cubitus.  
Pollux ta-  
men medi-  
um manus  
digitum  
καὶ γὰρ  
γῶνα vo-  
cat.

Cubiti quoque ratio ideo varia est, quia palmus varie accipitur. Nam qui duobus eum confite  
palmis dicunt, digitos omnino quatuor & viginti commemorant, dum cubiti spatium id esse  
dicunt, quod ab extremis unguibus in medium brachii angulum protenditur. Id nimirum sesqui-  
pedale est, & Græcis Pygon dicitur, unde Pygmæi Eustathio. Ita palmi illi duo pro totidem do-  
drantibus accipiuntur. Neque diversus erit à Nypso & aliis Vitruvius, qui cubitum senis, more suo,  
palmis dimetitur, cum duci procul palmos quatuor quemque digitis porrexerit. Cubitum pictoris  
quartam corporis nostri partem esse voluit. Apud Herodotum cubitum invenias viginti digito-  
rum tantum, differreque ab eo qui dicitur πῆχυς: de quo videris apud Suidam. Est etiam cubitus  
regius, qui major est communi tribus digitis, de quo idem Herodotus primo. Est & cubitus geo-  
metricus, qui dimensione una sex cubitos è nostris æquat, ut Origenes & Augustinus retule-  
runt.

## TEMPERANTIA. CAP. XLII.

Heroglyphicum vero cubiti una cum freno manu prætento, temperantiam præ se fert, unde  
Nemeseos simulacrum insignibus his conspicuum habeant, cujus hæc erat inscriptio:

Ἡ νῆυσος ἀπολέγει τὸ πῆχυ τὸν χαλιῶν,  
μητ' ἀμείψῃ τι ποιῶν μητ' ἀχάλινα λέγειν.  
Una manus cubitum ostentat, gerit altera frenum:  
Illa, modum serva: hæc admonet, os cobibe.

## DELICIOSUS. CAP. XLIII.

Sunt qui deliciosum molliculumque hominem, ne he-  
roglyphica hæc elabantur, ex cubito cervicali innixo no-  
tent. Signum inquit Adamantius, mihi videtur, voluptatis  
carneæ sub cubito manuum cervicali assutum sumptum id  
ex Ezechiele, qui dicit: *Va is qui assunt cervicalia sub  
omni cubito manuum:* nimirum eos intelligens, qui pro-  
pter animi corporisque molliem à virili recedunt fortitu-  
dine, & nequiter effoeminantur. Forsitan autem, addit,  
Adamantius, sermo divinus per hujusmodi figuram & ar-  
gumentum eos culpat magistros, qui per vaniloquentiam  
& falsæ beatitudinis promissiones (quod nostro, quippe  
corrupto tempore, supra modum invaluit) multitudinem  
audientium libidini, vitii voluptatique summittunt. Addit  
etiam Propheta, de capitis velamine quadam, quoniam his præcipuè temporibus valde suspecta  
sunt, consulto præteribimus: quæ si quis curiosius appetierit, ejusdem Origenis homiliam legat  
in Ezechielem tertiam, de que temporum nostrorum proceribus dicta omnia interpretabitur.

Ezech. c. 3.  
Mystica cu-  
bi si signi-  
ficatio.



## GRADUS. CAP. XLIV.

Gradus, quem alii Gressum dicere malunt, & Græci τὸ βῆμα appellant, uno constat cubito &  
pede: quod spatium tantumdem est ac pedes duo & semis, vel digiti quadraginta.